

4. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA – Decreto del Segretario (Daneels), *Della perdita dell'ufficio in applicazione del can. 186* (Rev.do N. – Congregazione per il Clero) – Prot. N. 45669/11 CA [contenzioso amministrativo], 15 luglio 2011.\*

#### DECRETUM

Paroeciali officio decreto die 10 septembris 1988 ab Exc.mo Ordinario lato Rev. do D.no N. ad novem annos collato, praefiniti temporis lapsus mense septembris 2010, litteris Exc.mi Archiepiscopi ad Rev.dum parochum datis, intimatus est.

Remonstrazione frustra porrecta, Rev. dus D.nus N. ad Congregationem pro Clericis provocavit, quae decreto diei 20 maii 2011 recursum hierarchicum reiecit.

Quam adversus reiectionem recursus contentiosus administrativus apud H.S.T. die 5 iulii 2011 propositus est.

Quibus praehabitis,

#### SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod decretum, quo officium paroeciale in casu collatum est, ad can. 522 praescriptum necnon ad decretum Episcoporum Conferentiae de quo in eodem canone remittit atque parochum ad novem annos nominatum explicite edixit;

Perspecto quod Exc.mus Ordinarius, litteris mense septembri 2011 datis ac explicita in iisdem mentione facta praescriptorum cann. 538, § 1 et 186, Rev.do parochi scripto intimavit «la cessazione dall'ufficio per decorrenza del tempo per cui eri stato nominato»;

Attento quod iuxta communem H.S.T. iurisprudentiam, officium paroeciale amittitur ob lapsum praefiniti temporis ab Ordinario intimatum (cf. decretum definitivum diei 1 decembris 2009, prot. n. 40869/08 CA), itaque parochus ad tempus determinatum nominatus elapso tempore statuto modo tantum precario in illo officio permanet, adeo ut sufficiat intimatio ex parte Episcopi ad eius cessationem ab officio efficiendam

(cf. decretum diei 26 maii 2010, prot. n. 43915/10 CA);

Cum, proinde, huiusmodi in casu non exstet lex, quae ius parochi in officio permanendi sancit;

Pro notorio habito quod huius Supremi Tribunalis, praeter iudicium de illegitimitate actus, non sit de merito causae videre (cf. Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II interpretandis, Responsum II, 4 diei 11 ianuarii 1971, in AAS 63 [1971] 330);

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae,

Vi art. 76, § 1, n. 3 *Legis propriae* qua haec Signatura Apostolica regitur,

**decrevit:**

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob manifestum praesuppositi defectum.**

Et notificetur iis, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra terminum peremptorium decem dierum ab hoc decreto recepto.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 15 iulii 2011.

✠ Franciscus DANEELS, O. praem.,  
Secretarius  
Iosephus Ferdinandus MEJÍA YÁÑEZ,  
Notarius